


Theodor Jordan   Philipp Manecke

## **Dissertationum Academicarum De Theologia Abstractiva, qt. Rationi Possibilis, Dissertatio Quarta**

Rostochii: Richelius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730139662>

Druck   Freier  Zugang



R U phil 1656 (57)

Jordan, Theodor

De theologia abstractiva

III. Lilius, Friderik

IV. Mancke, Philipp.



DISSERTATIONUM ACADEMICARUM  
DE  
THEOLOGIA  
ABSTRACTIVA,

28  
Rationi Possibilis,  
DISSERTATIO QUARTA,

Quam  
Ex

Suffragio Amplissimæ & Nobilissimæ  
Facultatis Philosophicæ

In præillustri Academia Rostochiensis  
Publico Philosophantium Scrutinio

exponunt

M. THEODORUS JORDAN.  
PRÆSES

&

PHILIPPUS MANEKE,

BOITZENBURG: MECKLENBURGICUS,  
RESPONDENS

*Ad diem IV. Martii horis antemeridianis*

In

*Auditorio Majori.*

—(s):(o):(s)—

ROSTOCHII

Typis Johannis Riebelii, Senatûs Typogr. 1657.

DISSERTATIONUM ACADEMICARUM  
SEMESTRIUM

PHILOSOPHIA

ST. AC. IV. A.

RATIONI POSSIBILIS

Summae & Philosophiae

Institutionis Academicae Rostochensis

M. J. JORDANUS

M. J. JORDANUS

Philosophiae

Rationi

possibilis

Summae

et

Philosophiae

Institutionis Academicae Rostochensis



## DISSERTATIO IV.

**S**Ummum illud Nomen, quod principium primum & omninò Necessarium veneratur, à quo, in quo, ad quod, propter quod, est, quid quid est, Latini nomine DEI, Græci verò voce ΘΕΟΣ extollunt, quas voces alii derivant ab antiquo Ήω pro quo dicimus ἡΐμα, cum sit omnium rerum principium & causa: Alii à Ήωμα, quia juxta illud Comici: est perfectò DEUS, qui quæ gerimus audit, & videt: Alii à Ήω currere, juxta illud Lucani: Est ἡ DEI sedes, ubi terra & pontus & aër: vel ut alii volunt, quòd etymologia paganismo natales debeat: videntur enim homines in Græcia primi, eos solùm Deos existimasse, quos nunc multi Barbarorum Deos esse credunt, nempe Solem, Lunam, Coelum: quæ corpora cum viderent perpetuò moveri, ab illa currendi natura Deos suos Ήωσ i. e. cursores dixerunt. Damascenus vocabulum derivat ἀπὸ τοῦ αἰθέρος cum DEUS sit ignis consumens: Alii à δέωμα, unde δέω timor, cum sit maximè timendus. Francisco Junio in controu. 2. Bellar. lib. 1. c. 16. quàm maximè arridet derivatio ab Hebræo אֱלֹהִים sufficiens, inde Δεὸς, Ἐὸς, σ δεὸς, Alii vocem hanc volunt à Διὶ διδῶ quòd nomen Jovis apud Græcos; quàm vocem Cretenses, (vid. Becman.) reddiderunt per Σιὸ Ἄεoles per αἰὸς, unde nomen decem Sibyllarum quæ dici videntur à voce Æolica αἰὸς & βολῆ Æolicè βολῆ consilium, quæsi illas dixeris consilium DEI, quàmvis alii illas quoad nomen descendere ma-

Q

line ab.

lunt ab Hebraeo Kabala, sicut ad idem etiam alludit vox Cybele, cum à  
Latinis quàm Græcis usurpata, sed ad alium sensum detorta. Hoc  
summum Numen sub nomine DEI expressum saniores Gentes unum  
saltem veneratas esse, diximus Dissert. 1. nihilominus tamen quid de  
DEO statuerit vulgus gentium, quibus interdum melioris iudicii Philoso-  
phi contra conscientiam delirare coacti sunt, inde videre est, quod nume-  
rum Deorum sat ditissimum introduxerint, de qua gentium polytheia He-  
stodius: Τρεῖς ἄ μὲν οἱ εἶσι θεοὶ Ἰωνί πρὸς ἑσέως. Marcus Var-  
ro trecentos Jovis enumerat: quos Deos Deasq̄ tantum Conjugio præ-  
fecerunt; affatim probant gentium scripta. Jurat ex scriptis Poeta-  
rum, ut & Arnobio adv. gent. lib. 4. quosdam horum Deorum Dearumq̄  
collegisse, ut ex illis appareat; quomodo ἐν τῷ παρῶν κηρύττειν Ἰσραὴλ τὴν  
ἐδὴν σὺν τῷ παρῶν κηρύττειν Ἰσραὴλ τὴν ἐδὴν. DEUM quem præter  
Hymenæum & Thalassium Sponso Sponsaq̄ ante domiductionem  
præfecerunt, dicebant Jugatinum domum cum ducebatur, comitabatur  
Sponsam, Domiducus, in adibus verò Sponsam custodiebat Domiti-  
us Præsides Januæ erant Forculus, Cardina, vel ut apud Ovid. 6.  
Festor, dicuntur; Limentinus & Carna, domi quando jam cum conjugē  
Uxor versabatur, ne conjugium facillè desereret, imperabat uxori Man-  
turna. Lectum conjugum multi Dii Deaq̄ observabant, Voluptas quæ  
voluptates concitabat, Angeronia quæ Angores depulit vid. Macro-  
b. lib. 1. cap. 10. Subigus qui conjugibus pater dicebatur. Prema virò Ma-  
cer, alias etiam Cynthia Juno, nec non Virginensis. Viriplaca quæ  
maritum uxoribus placabat, Circa partum invocabatur Diespiter, qui  
credebatur partum perducere ad diem, à quo partu ut abigeretur libero-  
rum hostis Sylvanus, implorant Intercidonam, Pylum, Pi-  
cumnum (qui aliàs à Servio 9. Ænead. dicitur Stesquilinius) &  
Deverram quæ scopis limen deverrentes adjurarunt, hæc adjecerunt  
alias Deas, Junonem, Lucinam, Opigenam, Deam Feciam, Ili. hyjam, Di-  
anam, Menam, Stimulam, Liberam, quarum hæc posteriores men-  
struis credebantur præesse. Puero jam nato præfecerunt Iterducam,

Adconam,

Adeonam, Abeonam, quæ puerum ducebant, Statilinū puerum fecit stare, nec non Offilagum qui ossa infantis adhuc mollia solidabat, Ruminam quæ rumam, id est, mammam, infanti immulgebat, Cuniam quæ cunis inferiebatur, Cubam quæ ponebat in lectum, Levana quæ à terra levabat, Potinam & Educam quæ potum & escam subministrabat, Fatuam & Ajum, Locutium & Fabulinum qui fari puerum docebat, Vitubum, Sentinum, qui vitam & sensum largiebatur, Carmentem quæ fata canebat, Vagitanus, vel ut vult Gellius Vaticanus: Os infantibus ad vagitum aperiebat Averruncum qui mala avertebat. Volumnum qui bona velle inspirabat, Juventam & Fortunam barbatam, quæ juvenem barba exornabat &c. Sed hisce quid immoramur? transeant hæ gentium plus quàm Cimmericæ tenebræ: gratias DEO exsolventes quod nobis dederit πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ᾧ τὸ γινώσκειν αἰετῶς, calamum præcipitemus ad Positionem nostram in ordine sextam.

## POSITIO VI.

DEUS est Ens citra divisionem & compositionem Logicam; quidditative, i. e. perfecta definitione non cognoscibilis.

§. I.

**E**Xistentiam Entis primi plurimis hætenus probatam dedimus, nec non illius numericam unitatem: restat ut in tali unitate progredientes, probemus: utrum illa numerica unitas adhuc stare possit sub unitate quadam universa-

li, seu prædicamentali, quæ unitas universalis alias præscinditur ab individuis finitis, eorundemq; differentiis individuantibus: est-que vel in essendo, & dicitur universale Metaphysicum, sive universale in multis & in re, vel Logicum sive in prædicando, & dicitur aliàs universale post multa & post rem:

Q 2

quamyis



quamvis utrumque tam universale in essendo, tum in prædicando, materialiter coincidat; nam quod de multis prædicatur, in multis etiam sit, vel esse possit, necesse est; siquidem dici de aliquo requirit in esse: in ordine tamen ad esse, vocatur universale in essendo, in ordine verò ad prædicari dicitur universale prædicabile. Sed de his plura in sequentibus: Nos qui filium præsentis discursus constituimus Ariadnam nostram positionem, sequamur ductum hujus filii: ubi statim circa prima verba, *DEUS est Ens* &c. quæstio se offert: *Utrum primum Ens prædicatur Ens? an verò non Ens; sed Essentia sit dicendum?* Picus Mirandulanus, *l. de Ente & uno cap. 3.* facit inter *Abstractum* & *Concretum* id discriminis, quod illud per se tale sit, & non ab alio: *Concretum* verò sit tale beneficio & participatione alterius nempe *abstracti*, quemadmodum lucens luce lucet, & candidum candore candidum, candorem verò à seipso & nullius participatione candorem ait. Hinc statuit Ens, ut pro concreto sumitur, notare aliquid alieni, & esse id quod esse participat: & inde concludit, *DEUM* non esse Ens, sumpta hac voce pro con-

creto; quia in *DEO* nihil est alieni, nec per participationem. Eiusdem etiam est sententiæ *Scaliger*, vir aliàs ingenii acutissimi, qui religionem putat: *DEUM* Ens dici, id quod; ob nimiam hujus vocis concretè sumptæ imperfectionem, siquidem ex mente illius, illud Ens est, quod habet essentiam, jam verò id quod essentiam habet, non statim est id quod essentiam possidet, nam aliud est id quod habet, & aliud id quod habet: juvat hoc loco hujus viri verba citasse ex exercit. 365. sect. 6.

*Quoniam DEO multa attribuntur, ut omnipotens, omnisciens, misericors, pius, justus, vindex, sanctus, immortalis, bonus, primum Ens, haud rectè extorsit usus, ut sic loqueremur, si enim denominativè quippiam de eo prædicaretur, abstractum esset, tum aliud ab ipso, tum ipso prius, quod sanè impium.*

Quare neque Ens est, sed essentia, neque bonus, sed bonitas, neque sapiens, sed sapientia, nec omnipotentia, quæ ita in ipso sunt ut sint ipsum: ita insunt ut nihil antecedat, nihil subsequatur. Ex hoc fundamento etiam ipse Plato in *Parmenide* *DEUM* dixit *ὄντως*, i. e. sine Ente, seu Non-Ens.

§ 2 Mens horum viro- rum non est: *DEUM* ex classe entium ita esse

esse ejiendum, ut transfret ad statum Non-Entis!privativè seu Nevativè, ita enim nec dicendus essentia, nec veritas, nec bonitas. Non-Entis enim nullæ sunt affectiones. Atq; quæstio saltem est circa prædicandi modum, an ille sit probandus, quatenus prædicatum effert in concreto, seu denominativè, an verò ut effert in Abstracto: priorem Scalig. ut Philosopho indignum improbat, propterea quod in ente essentia ab esse differat, non quidem ut Species à specie, sed ut aliquid, quod in proprietate respondet formæ, ab alio quod in proportione materiæ; quo fit quod omne Ens finitum suo modo sit compositum ex esse & abstractione ultimata: v.g. Angelitas, Humanitas, apprehenditur ut incompletum, completum v., Angelus, Homo, ut habens angelitatem, humanitatē. Verum sententiæ huic calculum supponere vetat lingua tum sana Philosophorum, tum sancta Theologorum, quia ad normam lingvæ sanctæ & Philosophis & Theologis DEUS est *אֵל*, uti & *אֵל* dicitur 70. Interpretibus qui verba Exod. 3. v. 14. *אֲנִי הוּא* reddiderunt *ἐγώ εἰμι ὁ θεός*, ego sum ille *אֵל*, Ens sive qui est;

ex quo *אֵל* probari potest, hunc concretivum modum Philosophis Theologisq; non esse indignum. Verum ut hoc ipsum accuratiori calculo supputemus: tempestivè quæritur: num Ens & essentia differant realiter? quia quicquid hac in re à Scaligero aliusq; asseritur id decisione hujus quæstionis facillè resolvitur: Alii quæstionem ita formant: An Essentia essentiata, sive ut *quod*, & essentia essentialis, sive ut *quod*, differant; ut reale simplex & compositum: *Claevens Timplerus Philosophaster Calvinianus lib. 1. Metaph. cap. 3. problem. 1.* hæc duo realiter differre his conatur probationibus.

1. *Quia sunt species ejusdem generis.*
2. *Quia definitione inter se differunt.*
3. *Quia Ens est concretum, essentia abstractum.*
4. *Quia si essentia esset Ens, essentia haberet essentiam, & daretur progressus in infinitum.*

Verum in his rationibus homo quàm maxime hallucinatur, & quidem quoad duas priores, circa naturam generum & specierum: falsissimum enim, Ens & essenti-

essentiam esse species oppositas,  
& definitione differre.

§. 3. Contra Philosophum hunc  
Ramistam, ita progredimur:

α. Species oppositæ sunt à se invi-  
cem essentialiter separata v. g. ho-  
mo, leo. *Ens & essentia non  
sunt à se invicem essentialiter se-  
parata.* Quia aut quodlibet eo-  
rum erit ens, aut non ens: Si  
non ens, quomodo absolveret ra-  
tionem speciei, cum species suum  
fundamentum obtineat in ente  
positivo: Si dicas, quod etiam  
non entia veniant sub nomine  
specierum, scias quod quæstio  
nostra sit de compositione, quæ  
est ex ente & essentia positivè: Si  
verò quodlibet eorum erit ens,  
progressus daretur in infinitum.

β. Nulla species sub eodem  
genere proximo intrinsicè con-  
stituit alteram speciem: Atque  
essentia constituit ens, quia fa-  
tente Timplero *lib. 1. c. 3. probl. 2.*  
essentia ad ens tanquam abstra-  
ctum ad concretum se habet:  
concretum autem est tale per su-  
um abstractum.

γ. Species ejusdem generis sunt  
species ejusdem prædicamenti:  
juxta Timplerum verò ens & ef-  
sentia sunt species ejusdem gene-  
ris. Erunt ergò ejusdem prædi-  
camenti, & consequenter non  
transcendentalia.

δ. Species opposita est conce-  
ptibilis, absque conceptu oppo-  
sitæ speciei: aut concipiat quis ens  
absque entitate, monstrum con-  
ciperet, quia ens per suam essen-  
tiam est id, quod est.

Deinde, secundam rationem  
quod attinet, quæ dicit, quod  
quæ definitione differunt, diffe-  
rant realiter; quàm maximè er-  
rat. Ergone animal & homo,  
cum definitione differant, reali-  
ter differunt? Adde, quod entis  
& essentiæ non sint essentielles de-  
finitiones, sed tantum descripti-  
ones, uti olim hujus Timpleri tri-  
bulis Goclen in *Concil. Phil. p. 14.*  
manifestissimè docuit: transcen-  
dentalia non habere definitio-  
nem *περατωτάτη* sed *ενουαλί-  
κω*, seu *ὀνομασίωδη*. Sed missis  
illis, quæ digna, ut ad classem  
*ἀνεστιαίων* relegentur, restant ra-  
tiones duæ posteriores, quæ Sca-  
ligero scrupulum injecisse viden-  
tur, quo inductus negavit ens &  
attributa, de DEO concretivè,  
congruè enunciari.

§. 4. Misso quod concretum  
aliud sit physicum, aliud meta-  
physicum, dicimus; quod concre-  
tum in prædicandi actu sit dupli-  
cis ordinis, aliud quod tale est  
*περίωτος* seu directè, vel *δὲ τίπως*  
seu reductivè. Prioris ordinis  
concreta

concreta sunt accidentia, quæ respectu subiecti, subiecto contingenter insunt, ita ut citra illa subiectum adhuc sit aliquid quidditative perfectum, & inferunt in subiecto realem compositionem: hæc verè concreta s. *Idcirco* considerata, iterum sunt duplicis ordinis, vel enim accedunt ad classem concretorum per *variaz* attributionis, vel proportionis: quæ accedunt per attributionem & quidem ita, ut ratio concreti secundum magis & minus intrinsecè ipsis insit, sunt species in ordine ad superiora, quoties cum superioribus disponuntur *magis*. Quoniam seu contra naturam, v. g. Quamvis hæc propositio: *Homo est corpus, homo est animal*, sit synonymica sive in quid; non tamen hæc: *Animal est homo. Corpus est homo*. Inde fit, si novacula logicæ hæc posteriores subiciantur, ut referant propositiones particulares & concretivas: h. m. *Quoddam corpus est homo, Quoddam animal est homo*. Vel quod idem est. Corpus seu animal contingenter est homo. Quia neutrum eorum ex intrinsecà necessitate homo est. Per analogiam proportionis verò ad paronyma reducuntur, tum prædicata transcendentalia, ut *unum, bo-*

*num, verum*, tum prædicata divina, quæ quoad formalitatem vocis talia quidem sunt, ex parte subiecti autem, sunt ipsa simplicissima essentia. Sic DEUS dicitur omnipotens, omniscius &c. de simplicibus enim loquimur per modum compositorum, à quibus cognitionem accipimus, & idè de DEO loquentes concretis utimur nominibus, quia intellectus non saltem DEUM apprehendit, ut essentiam; sed etiam ut subsistentem essentiam, ergò non nudè illud pronunciat omnipotentiam, omniscientiam; sed etiam omnipotentem, omniscientem. Quemadmodum enim (ut rectè admonet Thom. *part. 1. quest. 3. art. 4.*) DEUS est vita & vivens, ita etiam est ens & essentia.

§. 5. Verùm ut syllogisticè procedamus, sit pro legitimo horum terminorum usu

Argumentum primum:

*Quæcumque vocabula DEUM significant subsistere, illa ad exprimendam aliquo modo DEI sustentiam non præposterè adhibentur. Atque hæc concreta & denominativa vocabula sunt talia, quæ DEUM subsistere exprimunt: Non verò vocabula abstracta, ut essentia, sapientia &c. Ergò vocabula hæc concreta*

*creta ad exprimendam aliquo modo  
DEI substantiam de DEO non pra-  
posterè adhibentur.*

Minoris veritas suis radiat ra-  
diis; nam vocabulum essentiae,  
omnipotentiae, &c. notat id, quo  
ens est ens. Nam abstracta, ut  
Philosophis constat, significant  
naturam aliquam in se absque  
substantia, DEUS autem non est  
natura absque substantia. Ergò  
ad exprimendam hanc substi-  
tentionem non abstractivè sed con-  
cretivè probè dicimus: DEUS  
est ens, est omnipotens.

Argumentum secundum.

*Quodcumque non impedit ens pri-  
mum concretè DEUM dici, id nec  
impedit ens primum concretè ens di-  
ci. Quia nulla est ratio, quæ  
magis militet pro concretivo vo-  
cabulo DEI, quam pro vocabulo  
entis, utrobique enim intellectus  
concepit, id quod & id quo sive ab-  
stractum ultimatò. Compositio  
per quò & quod, non impedit ens pri-  
mum concretè DEUM dici. Ergò  
nec hæc compositio impedit ens pri-  
mum concretè ens dici.*

Minor probatur: Pater, Filius,  
DEUS, in divinis sunt concreta.  
Deitatem verò, paternitatem,  
filiationem, quis negaverit, esse  
abstracta. Sed differt ne Deitas  
à DEO, Paternitas à Patre, filia-

tio à Filio? Diciturne DEUS,  
DEUS per participationem Dei-  
tatis, vel Pater per participatio-  
nem paternitatis?

Argumentum tertium.

*Quicumque DEUM dicit nomi-  
nale ens, is DEUM dicit ens. Qui-  
cumque DEUM dicit essentiam, is  
DEUM dicit nominale ens. E. Qui-  
cumque DEUM dicit essentiam, is  
DEUM dicit ens. Qui ergò DE-  
UM negant ens, sive nolint sive  
velint, simul DEUM ens dicunt,  
Termini in majori, sunt necessa-  
rii, quia Philosophis non saltem  
ens in vi participii, sed etiam in  
vi nominis ens dicitur. Et qui-  
dem utrobique per intrinsicam  
denominationem, seu essentiali-  
ter: Minor verò satis est perspi-  
cua ex veritate entis nominalis,  
quatenus nominale ens significat  
de formali, essentiam rei; inde est,  
quod alii ens nominale dicant  
principium intimum omnium  
actionum, sive essentiam, quæ per  
definitionem vel descriptionem  
explicatur, non habito respectu,  
utrum existat nec ne. Si ergò  
DEUS rectissimè dicitur essentia,  
etiam rectissimè dicitur ens, in  
quantum sc. ipsi non repugnet  
ipsum esse: h. m. Est, ergò potest  
esse. Quia ab esse ad posse affir-  
mativè valet consequentia. vid.*

*Petr.*

*Petr. Hart ad. de Mendoza disp. Me-  
saph. 2. Sect. 1.* Ast videamus illa,  
quæ hunc usum loquendi infringere  
videatur.

§. 6. Obj. 1. Omne concre-  
tum est compositum, Ens in ap-  
plicando ad DEUM est concre-  
tum E. in applicando ad DE-  
UM est compositum. Resp. Con-  
cretum sæpius esse realiter com-  
positum, nemo facile negabit:  
quia forma, siue id quod subjecto  
denominationem tribuit, non  
semper est subjectum ipsum. Sic  
albedo non est ipsum subjectum  
ab albedine denominatum: &  
hæc causa est, cur in ejusmodi ac-  
cidentibus, nec abstracta de con-  
cretis, nec concreta de abstractis  
legitimè enuncientur. Verùm  
distinguiamus hæc inter concre-  
tum Logicum, Grammaticum,  
Physicum: hoc, utpote, Physicum  
concedimus esse compositum,  
ast non (r.) Grammaticum,  
quod à subjecto tantum differt  
nomine, inde est, quod Danhaw.  
in ideâ bon. disp. hos terminos:  
Entitas & ens, pro eodem habeat,  
& hunc Syllogismum: Entitas non  
est ens, Essentia est entitas, &c.  
rejeciat, ob defectum termino-  
rum. Major enim terminus  
à medio non differt ex re  
sed saltem nomine. Nec con-

cretum Logicum statim est com-  
positum, exemplum sit DEUS  
Pater, Filius, &c. & in transcen-  
dentalibus unum, bonum, &c.  
Sic in quantitate prædicamen-  
tali occurrit divisibilitas, quæ  
quantitatem dicit divisibilem.  
Cum tamen divisibilitas secun-  
dum rem sit ipsa quantitas: nam  
divisibile nihil dicit aliud, quàm  
subjectum, quod per se & imme-  
diatè est divisibile, h. m. quanti-  
tas est divisibilis: Interim tamen,  
quia essentia est primus rerum,  
conceptus, & verò divisibilitas  
non est de primo conceptu quan-  
titaris, cum primus conceptus  
quantitaris consistat in exten-  
sione, siue in hoc; quod habeat  
partes extra partem, quem con-  
ceptum sequitur, eoque posteri-  
or est divisibilitas; ideoque mens  
prius apprehendit quantitatem,  
& deinde divisibilitatem; cum  
tamen hæc ipsa in res sint unum  
& idem, & quantitas divisibilis  
dicatur absque ullâ compositio-  
ne;

Obji II. Quicquid habet  
essentiam, id ipsum est compositum,  
ens in applicando ad DE-  
UM habet essentiam. E. Resp.  
Quicquid habet essentiam ita, ut  
non realiter sit ipsa essentia; jam  
negatur minor: Deus enim ita  
R habet

habet essentiam, ut sit simul ipsa essentia; inde tritum illud Philosophorum: Quod Deus sit *ὅτι* τὸ, i. e. ipse suum esse. Dices: id quod est non est id, quo quid est. Ast ens est, id quod est, E. non est id, quo quid est; Resp. Solutio satis hactenus est data, nimirum majorem procedere in concretis physicis, non Logicis. Sic ens est id quod est, seu quod habet essentiam, est etiam id quo est, seu ipsa essentia. Dices. Quis tamen fit; quod in multis abstractis logicis, abstractum non enuntietur de concreto. v. g. Licet pie dixerō: *DEUS est ipsa Deitas*; Sic &, *ens est ipsa essentia*: Nihilominus tamen hæc propositiones: *homo est humanitas*. *Canis est caninitas*, in modo prædicandi non legitime procedunt: id quod fieret, si concretum & abstractum logicè considerata, semper essent idem. Resp. I. Quidam circa has propositiones putant: locutiones illas esse negandas, non ob distinctionem aliquam ex naturâ rei, sed ob modum significandi, qui adjunctâ distinctione rationis, sufficeret efficere falsam propositionem. vid. Svaretz. disp. 6. sect. 10. part. 1. Alii rationem collocant in diversitate significandi. Sic

Armand. de Bell. vii: Tract. 2. c. 278. Quia, inquit, modus significandi impedit modum prædicamenti, inde est, quod dato & posito, si tamen ita est, quod, quantum ad formale significatum, idem importetur nomine abstracti & concreti, sicut hoc nomen hominis & humanitatis, tamen quia modus significandi, est diversus in diversis, quia concretum significat per modum, quod est, & per modum habentis, & per modum totius, abstractum autem significat, per modum quod est, & per modum habitus, & per modum partis, ideo in nullâ re, in quâ differunt quod est, & quo est, habens & habitum, pars & totum, possunt de se invicem prædicari, ut hæc est falsa: *homo est humanitas*. Sequitur ergo quod concretum & abstractum, non possunt de se invicem prædicari. In divinis autem, ut idem est habitus & habens, quod est & quo est, Pars & totum, eodem modo, quo est in talibus, totum, & pars possunt de se invicem prædicari, ideo hæc vera est. *Deus est sua Deitas, Deitas est Deus*. Hæc Armandus Resp. II. Nos discedimus hic à sententiâ tum Svaretzii, tum Armandi, vestigia legentes Petri Hurrad. de Mendoz, disp. log. 13. sect.

sect. 3. & propositiones has non falsas sed veras declaramus; supponentes ex Aristot. l. 9. Metaph. c. 12. text. 21. Orationem affirmativam esse, quæ dicit identitatem inter prædicatum & subiectum, i. e. ubi in re ipsa unum est alterum, uti è contrario enuntiatio negativa est, quæ significat divisionem & negationem identitatis. Nam iudicium de falsitate propositionis non est sumendum ex nudo conceptu, sed ab objecto, & ex eo, quod oratio rei vel est conveniens vel nõ est, ideo vulgò dicitur, Veritatem esse conformitatem orationis cum objecto. Inde argumentum.

*Quodcumque prædicatum secundum rem idem est cum subiecto, illud de subiecto non est negandum, Sed in adductis propositionibus affirmativis, prædicatum cum subiecto secundum rem idem est, differunt enim hæc duo tantum ratione, Ergò Prædicatum de subiecto non est negandum. Quod autem obvertitur: ad propositionis veritatem non sufficere realem terminorum identitatem, sed requiri etiam rationis identitatem: ad illud respondemus cum Clariss. Stahlio in regulis Philos. Si id firmiter procederet, omnes propositiones, quæ non essent*

identicæ, esse ut falsas relegandas; cum nullæ prædicationes essent veræ, nisi quæ & in re & ratione non distinguuntur; unde istæ propositiones; *homo est animal, Rura est herba*; planè essent falsæ, cum, licet prædicatum à subiecto non sit realiter distinctum, sit tamen distinctum ratione. Hæc tamen non propterea diximus, ac si planè inter has abstractiones, quas ultimatò mens in ente finito format, ipsi simplicissimæ DEI entitati adæquemus; absit per omnem modum: Non enim inficias ire possumus, summam esse inter entitatem DEI & aliarum rerum diversitatem; quamvis enim de DEO & creaturis vera entitas enuntietur; tamen quod in creaturis est tantum abstractiva entitas, per mentis abstractionem, id in DEO, ut essentia simplicissimà, est realiter, imò realissime, ita; ut nõ tam Deus sit, quàm Deitas, ens quàm entitas, Pater quàm ipsa paternitas. Quæ verò dicuntur, eò saltem tendunt, ut ostendant, quomodo concretivus ille modus enuntiandi, Philosophis & Theologis consuetus, nec id in creaturis in recessu habeat, utpote compositionem realem, quod alias alii sibi metuunt in ipso Deo.



Sed de his satis, concludimus hujus primæ quæstionis discursum verbis Justini Martyr. tom. 3. quæst. 144. *Sicuti DEUS ubique est totus & totus in quoquo, totusq; in seipso, atq; id fide nostrâ probamus: ita etiam simplicitas ejus tota est Filius, & tota Filium habens est, eotâque voluntas est, ac tota voluntatem habens est: non enim ad instar creata nature DEUS, ut id, quod sit, & id quod habeat, per compositionem intelligatur, sicut natura creatæ. Verùm pro eo atq; naturam habet, ita etiam intelligendus est id quod sit, & id quod habeat, obtinere supra compositionem.*

§. 7. Alterum quod ex nostrâ positione fluit, est *Utrum DEUS admittat divisionem & compositionem Logicam.*

Divisio dicitur à dividere, sumitur vel latè vel strictè: latè pro quavis separatione unius ab altero: sic ens dicitur dividi in nominale & participiale, cum tamen illa divisio latè sic dicta, non sit quoad essentiã, sed quoad diversitatem apprehendendi, quã mens esse entis concipit, cū actu essendi exercito, vel citra actû, tantùm in sua essendi formalitate: sic ens dicitur dividi in ens in potentiã & actû, cum tamen idem, quod antea in potentia, jam possit esse

in actu. Sic divisio boni, quã in honestum, jucundum & utile, distribuitur, cum tamen hæc divisio, læpius sit mera distinctio, cum eadem actio, quæ bona, possit esse utilis, jucunda, honesta; Sic prædicabilia ut sic, seu in actu signato, dividuntur in genus, speciem, & differentiam; quæ tamen non sunt positiva entia, sed rationis. Circa hanc latam acceptiorem vocis divisionis, Armandus de bell. vii. tract. 2. c. 191. illud probè notandum esse ad moneo, quòd quorundam entium possit esse divisio rationis, adeò, ut possint esse ex diversâ consideratione rationis, in diversis prædicamentis; demonstrat hoc ipsum in quartâ specie qualitatis: id quòd ita se habeat; ostendit etiam divisio prædicamentalis in actionem & passionem: nam actio & passio est una eademq; res, & unus simpliciter actus; nihilominus tamen ex diversitate rationis est, quòd una eademq; res, faciat duo prædicamenta. At tamen ita, ut eorum divisio sit quidem, secundùm rationem, habeat tamen fundamentum suum in re, v. g. idem actus, ut est *ab hoc*, sumitur in prædicamento actionis, & ut est *in hoc*, est in prædicamento passionis. Divisio strictè

strictè dicta, est eorum, non quæ mentaliter, nec quæ nudè realiter (qualia sunt modi entis) sed positivè seu essentialiter differunt inde Scheibl. l. 1. c. 4. not. 22. divisio significat entitates in se ipsis completas, vel res, quarum singulæ sunt suis entitatibus determinatæ.

Divisio hæc strictè dicta totuplex est, quotuplex est totum seu compositum, unde alia est nominis ambiguï, (quamvis & hæc nõ raro mentalis) quod resolvitur in sua significata, alia est generis in suas species, alia corporis in partes. Nostra positio est occupata circa divisionem & compositionem, quæ dicitur logica, cujus totum est vel species, quatenus absolvitur genere & differentia, vel genus, quatenus resolvitur in suas species.

§. 8. Quæstionem affirmant Gregorius Ariminensis l. 1. sent. Gabriel Biël, ut & ex Calvinianis Piscator vol. 1 pag. 76. *Vocabulum, inquit, Spiritus, statuimus pro genere in definitione DEI, quia de DEO, Angelis & animabus predicatur πνεῦμα, & ad elenchum Buscheri c. 16. affirmat, DEUM predicari de personis ut genus.* Goclen. Marpurgens. in contrav. log. 1. p. 272. essentiam constituit

genus DEI & creaturarum. Verùm quàm absurdum hoc sit asseruisse, multi hæctenus Philosophorū, tum in præceptis Logicis, tum Metaphysicis probarunt, ut actum videamur agere, multum in hoc absurdum eliminando, desudasse. Verùm ne circa hujus defectum nostra abstractiva Theologica infelix operis summa videatur; strepat hac vice anser inter olores.

Assertum generale.

*Compositum Logicum est species. Ens primum non est species. E. non est compositum Logicum. Minorem probamus specialiter.*

(a) Omnis species est posterior suo genere, quia genus ut pars, prius est suo toto. Ens primum non est posterius, nã primum esse & tamen posterius esse implicat.

(β) Quicquid generi subjicitur, admittit duo extrema, quæ differunt, ut aliud & aliud, sive, quorum unum est extra alterum. v. g. aut genus includit suam differentiam aut non, Si non; species ut compositum constat ex duobus extremis, quorum alterum, est extra alterum: Si verò includit, genus definit esse genus, est enim contra rationem generis, differentiam includere. Sic animal quod est genus hominis,

R 3

nom

non includit essentialiter esse rationale. Ast ejusmodi extrema in DEO vel collocare, vel concipere est contra naturam DEI.

(7) Quicquid generi subest, est perfectibile, & citra differentiam adhuc informe. v. g. Genus ut sic perficitur per suam differentiam, ast DEUS non includit aliquid perfectibile: si enim includeret aptitudinē vel ex parte, vel ex toto, acquirendi aliquam perfectionem, non esset absolute perfectus.

S. 9. Assertum in specie. I.

Essentia non est genus DEI & creaturarum.

*I. Quicquid pertinet ad essentiam entis creati, est dependens. Quicquid pertinet ad esse entis increati, non est dependens. E. Quicquid pertinet ad essentiam entis increati, non pertinet ad esse entis creati, & consequenter DEUS & creaturæ, non possunt convenire sub essentiâ, tanquam sub ratione generis: Genus enim æqualiter participat.*

*II. Si essentia est genus DEI & creaturarum, aut erit genus univocum, aut analogum. Non univocum, aut enim illa essentia erit indeterminata, aut per differentiam jam determinata. Si prius, erit aliquid imperfectum,*

uti ex jam dictis constat, extra differentiam enim ad huc est deforme, & ita Deus esset compositus ex Deo & non Deo, uti homo ex animali, ut non homine; si posterius, Deus erit aliquid compositum, &c. Sin verò genus analogum, tum adhuc DEO esset quid prius, siquidem omne genus analogum, quatenus genus est, suis speciebus prius est naturâ: si enim tantum respectu intellectus concipientis prius esset, tum sanè generis nomine, ne quidem dignum esset. Quamvis ergò ens de DEO & creaturis analogicè enunciatur; non tamen per modum generis, hæc enim vox magnâ laborat infirmitate.

III. Si sub essentiâ DEUS detinetur per modum speciei sub genere, tempestivè quaritur: *quodnam in DEO differentia principium?* aut forma, aut proprium, ut essentialiter consequens: sed utrumque DEUM constituit compositum, prius essentialiter, posterius accidentaliter.

Excipit Goclenius, distinguendū esse inter genus Metaphysicū, Physicum & Logicum: quæ hætenus dicta, concedit de genere Logico non Metaphysico. Resp. Quid hoc monstri alit? Ergone Logica non est disciplina instrumentalis

mentalis universaliter? Ergone  
Metaphysica fabricat notiones  
fecundas? Scire lubet, quis finis  
notionum Logicarum? Nonne  
propterea eas invenit Philoso-  
phus, ut mediantibus illis diffe-  
rentias rerum investigaret, & in-  
dagaret? quare ergo illæ rebus  
ipsis sunt opponendæ? Verùm  
præter communem Logicam,  
cùm aliam hoc ipso termino ad-  
versarius cudat: ergo solus ille  
intelligat, quodnam sit illud ge-  
nus quod Metaphysicum vociter.  
Aut enim essentia, seu genus Me-  
taphysicum, obtinet rationem  
generis, formaliter in Logicis  
propositam, aut aliam: Non  
aliã quia nullibi præter Logicam,  
doctrina generum & specierum  
inculcatur.

Obj. in genere I. Quicquid  
est in prædicamento, habet rati-  
onem speciei. DEUS est in præ-  
dicamento. E. Minor: de quo-  
cunque possunt fieri enuntiatio-  
nes, id est sub prædicamento.  
Resp. Ratio hæc nulla est. De  
transcendentalibus formantur  
propositiones, ut & de non ente,  
quæ tamen intra prædicamentum  
cancellis non continentur.

Obj. II. Non repugnat DEO  
esse sub genere, quia hæc com-  
positio est saltem rationis, non  
realis; Genus enim & differentia

non distinguuntur ex natura rei,  
in una eademque re quàm consti-  
tuunt: ubi autem in re non est  
distinctio, ibi nec realis compo-  
sitio: compositio verò rationis  
DEO citrà simplicitatis negatio-  
nem competit. Resp. Compo-  
sitio hæc ex genere & differentiã  
non propterea in DEO negatur,  
quod illa in rebus creatis sit sta-  
tuenda realis, sed quod ex natu-  
rà DEI, quatenus est essentia infi-  
nita & simplicissima, DEO attri-  
bui nequeat, siquidem in DEO,  
stante hac absoluta simplicitate,  
nec ratio differentia, nec generis da-  
tur. Uti id ex hactenus probatis  
sufficenter constat, Dices id  
nec in Angelis, quæ simplicis sunt  
essentiæ, facilè quis concipit, qui  
tamen adhuc generi dicuntur  
subesse. Resp. In Angelis utiq;  
genus concipitur, ut minus per-  
fectum, differentiã perficien-  
dum. v. g. essentia angelica, qua-  
tenus nondum est determinata,  
ad Gabrielem, Raphaelem, ap-  
prehenditur, ut essentia certa  
numericã differentia nondum  
informata; informanda verò, s.  
perficienda, hac vel illa differen-  
tiã numericã, ita etiam, quate-  
nus hæc angelica essentia specifi-  
cè continetur sub substantia, de  
quã vid. *dissert. 3. posit. 4. §. 11. objt.*  
I. Asser-

I. Assertum speciale II.

DEUS respectu personarum Deitatis non est genus.

I. Quia ex tali asserto flueret absurdum: quo multiplicaretur ipse DEUS. v. g. multiplicatis speciebus animalis, multiplicatur ipsum animal, & ita tres personæ essent tres Dii.

II. Quæ specie differunt, differunt essentialiter, & sic unus numero DEUS essentialiter à se ipso differret.

III. Hæc applica, quæ hæcenus militavit sub asserto nostro generali: Videamus quæ obijciuntur. Obj. I. Totum partibus suis essentialiter est genus. DEUS est totum partibus suis, utpote personis, essentialiter, E. Resp. Major est spuria generis delineatio, quam & tyro in logicis corrigat. v. g. Piscator fuit totum partibus suis essentialiter, ergo ne fuit genus? Deinde minor est impia: Personas enim Deitatis esse partes, quis Philosophorum approbaret? itane DEUS ut totum penderet à suis partibus? Partes sunt essentialiter extra se invicem, sunt aliquid incompletum, &c. Obj. 2. DEUS prædicatur de tribus realiter distinctis personis in quid. E. per modum generis. Resp. Prædicatur in

quid de tribus personis, non ut pluribus speciebus, vel personis essentialiter distinctis, sed personis subsistentibus in unâ indivisibili numero essentia.

§. 10. Ex hisce ita solutis, tertia quæstio soluta erit facilis, quæ quæritur. Utrum Deus sit Quidditative cognoscibilis.

Nè error fiat circa terminum *quidditative*; notamus: quod juxta Scholasticos aliud sit, cognoscere quidditatem rei, & aliud sit, cognoscere rem *quidditative*: priori modo quidditas rei cognosci dicitur; cum cognoscimus quodcumque prædicatum essentialiter, non tantum ut commune; sed etiam ut proprium, sive concipiatur per positivam rationem; sive per negationem: ita quidem rei *quidditas* cognoscitur, alii non in totum ipsa res cognoscitur *quidditative*. Cognitio ergo quidditativa ipsis est, per quam cognoscuntur de re omnia prædicata quidditativa, usque ad differentiam, vel quasi differentiam, ultimam. i. e. concipiendo rem in accurata sua definitione. Vid. Cajet. tract. de ent. & esse ut & Micræl. Lex. Phil. Quoad quidditatem rei ergo concedimus, aliquo modo; DEUM posse cognosci naturaliter *quid sit*, & huc spectant attributa DEI prout explicant

eant essentiam DEI, suntque essentialiter ipsa DEI essentia: sic mens abstrahit prædicata communia de rebus finitis, utpote Spiritum, substantiam, ens, quæ DEO proportionaliter applicat, hisce addit attributa, quæ format quasi differentiam seu modos, quibus excellentiam hujus prædicati communis exprimit. Hæc omnia ad aliqualem definitionis formam; ut suæ imbecillitati consulat, mens quidem pingit & fingit, aut non assertivè de Deo ponit: scit enim hæc ipsa ad ideam entium finitorum ita formata, Dei essentiam definitive seu accurate non exprimere: nullum enim ens finitum ita adæquat DEO, ut propriam ejus similitudinem referat, cum finiti ad infinitum nulla proportio. Sed agamus per argumenta.

Argumentum primum.

*Quicquid propriè definitur, definitur vel causaliter vel essentialiter. DEO non competit causalis definitio, hæc enim est accidentium & indicat causam externam, ob quam definitum seu accidens suo subiecto insit. nec secundò essentialis DEO competit: ita enim DEO competeret compositio Logica, ex genere & differentia.*

Argumentum secundum.

*Quicquid definitur est universale.*  
2. poster. c. 3. non obstante illo Aristoteleo 1. 2. poster. c. 15. *Singulare definire multò facilius est, quam universale, cum ibidem per idem *εἶδος* species infima denotetur: DEUM autem esse ens maximè singulare, abundè demonstravimus positione tertiâ.*

Obj. I. Licet DEUS non Logicè, tamen Theologicè rectè definitur. Resp. Theologia non novas definitionis regulas inculcat, vel nova præcepta Logica præscribit. Si ergò Theologicè accurate DEUS definitur, definitio imitetur formalitatem Logicam.  
2. Infinitum si Theologicè quidditative definitur; ergò Theologicè erit finitum, quia includitur adæquatè, definitione.

Obj. II. De DEO naturaliter cognoscitur id quod maximè illi est essentialè, sc. esse ipsum per essentiam, ergò naturaliter quidditative cognoscitur.

Resp. Hoc prædicatum non perficit quidditativam DEI cognitionem; quia non distinctè, sed confuse dicit, quid DEUS sit: quia eo ipso nondum satis apprehendo, quæ sit illud esse per essentiam, imo nequidem quis concipere potest in genere, quid

lit, esse suum esse per essentiam, nisi saltem negativè, quod sit à se, sive ex se ens actu, i. e. non ab alio. Idem & fit in omnibus aliis attributis, quæ confuse saltem perfectionem indicant, v. g. *bonus, perfectus, justus, &c.* hæc concipiuntur ad formam istius perfectiōnis, quæ sunt in creaturis, eum tamen ea DEO competant, ut propria, non ut rebus creatis communia. Dic verò: sub quo conceptu hæc DEO applicare velis, ita ut sint ipsi propria; non certè sub alio, quàm confuso; dum dicis: quod sit *summè sapiens,*

*summè bonus,* omnem perfectionem includens: quod sit; quod sapius conceptus nostros de DEO negativè formemus, juxtà vulgare illud Augustini *Facilius & distinctius concipimus, quod DEUS non sit, quam quid sit.* Sed positionis nostræ circulum absolvitæus, addentes loco coronidos verba Augustini, l. 7. confess. c. 11. Insperi omnia, o sanctissime DEUS! infra te, & vidi nec omninò esse, nec omninò non esse: esse quidem quoniam abs te sunt, non esse, quia non sunt id, quod tu es.

## MANTISSA.

**Q**uaritur: quod nra illud desertum, in quo Johannes Baptista ad annos ministerii substitisse dicitur Luc. 1. v. ult? nec non quænam illæ *areæ des,* quas inter edulia adhibuit?

Maldonatus, ejusque contritules ineptiunt h. I. Johannem fuisse Anachoretam, & omnium Eremitarum, Monachorumque patrem, ideoque ut Monachorum vitæ, vivendò præret; substitisse in deserto. Hilarius vocabulum desertum mysticè exponit, ita ut notet regionem Judaicam, DEI frequentatione desertam. Nicephorus l. 2. c. 14. causam hujus Johannitici habitaculi in deserto hanc reddit: quod post obitum parentis Zachariæ, à Judæis interfecti Elisabeth cum filio sese receperit in desertum, et Judæorum furori sese subduceret, dicirque desertum fuisse *Adunim.* Nos dicimus I. desertum ex Idiotismo Scripturæ sapius notare locum, seu regionem saltuosam, quæ deserta dicebatur, non quod planè fuerit inculta, seu inhabitata, sed collata cum aliis locis, magna hominum, copia frequentatis, visa quasi deserta. Sic Ismael dicitur habitasse in deser-

in deserto, Gen. 21. v. 20. & 21. in deserto ædificavit Salomon *Bælarth.*  
 1. Reg. 9. v. 18. Joab habitavit in deserto, 1. Reg. 2. v. 34. Stemmatis  
 Judæ assignantur civitates in deserto, Jos. 15. v. 61. Dicimus II. de-  
 sertum in quo permansisse dicitur Johannes, fuit regio saltuosa, in  
 qua Zacharias suum domicilium habuit. Confer. vers. 80. cum  
 vers. 40. & apparebit quod idem locus, qui vers. ult. dicitur desertus,  
 etiam appelleretur saltuosus seu montosus: nam ut constat ex 1. Para-  
 lip. 7. Sacerdotes non necessariò sua domicilia Hierosolymis in-  
 habitant, sed etiam in proximis oppidulis, ex quibus, quoties il-  
 los ordo attingebat, ascendisse dicuntur. Sunt qui putant civita-  
 tem, quæ Baptista cunabula dedit, fuisse Hebronem; quod non adeò  
 improbable; nam inter alia oppida stemmati Aaronis in V. T.  
 assignata, etiam refertur Hebron. 1. Paralip. 7. v. 55. oppidum terræ  
 Judæ, cujus situm Jos. 15. v. 48. & 54. scriptura dicit fuisse in regione  
 montosa.

Alteram quæstionem quod attinet: vocem Græcam Lutherus  
 reddidit. Seine Speise war Hewschrecken. Sunt qui vocabulum  
*ἀνεΐδης* interpretantur caneros, quos Baptistam ad Jordanis ripam  
 baptizantem collegisse ferunt. Postquam illos piscatores, qui pisces  
 suos Hierosolymam vel ad alia finitima oppida venales advehebant,  
 facta canerorum ab aliis piscibus, lege non prohibitis, separatione,  
 ad ripam Jordanis, ejecerant: Sic Beatus Simon Pauli in Festum  
 Johann. Bapt. Er als Krebs die auch dem Jordan gefangen wurden, dieneit  
 aber die Speise im Gesetz Moiss verboten/ etc. Epiphanius *κατ' Εβραϊσµον*  
*hæres. 30.* testatur, Judæos quosdam fuisse, qui, ac si Baptista in deserto  
 cuticulam curasset, pro voce *ἀνεΐδης* legissent *ἐνεΐδης*, quod  
 notat opus piscorium & dulciarium è simila, quod oleo incoque-  
 batur, & melle indulcabatur. Alii intelligunt pyra Sylvestria, &  
 ex errore vocem esse pro voce suppositam, pro *ἀνεΐδης*, *ἀνεΐδης*;  
 Notat verò *ἀνεΐδης* arborem pyriferam sylvestrem, nec non ejusdem  
 fructus *Holshäpfel*. Alii ut Nicephorus, Euthymius *ἀνεΐδης* idem  
 esse dicunt, quod *ἀνεΐδης*, summas olerum partes, inde Hido-  
 rus Pelusiotus *l. 1. epist. 13.* *ἀνεΐδης*, inquit, *quibus Johannes aleba-  
 tur, sunt herbarum & plantarum summitates.* Verùm confundunt



Patres voces: Aliud est *ἀκρίδες*; quod nunquam nisi pro locustis usurpari invenies, aliud *ἀκρίς*, quod notat summitates, aliud *ἀκρίδωα*, quod notat arborum vel fructuum summitates. Quidam per *ἀκρίδας* intellexerunt scarabæos vel animalia scarabæis simillima; huc faciunt verba Isidori jam attacta: *acrides quibus Johannes aiebatur, non sunt animantia, ut quidam imperitè putant, scarabæis simillima, absit.*

Nos dicimus I. Cibus locustarum erat cibus communis, quem ille locus, in quo Johannes degebat, suppeditavit, & quidem cibus hominì rusticano conveniens. Judæis certam locustarum speciem in cibum ex ordinatione DEI venisse, apparet, Levit. ii. cum quibus verò hæ locustæ possint apud nos comparari, vix inveniri potest. Dicuntur ibidem *לַחֲמַן* & videntur ex citato loco fuisse animalcula volatilia, quæ simul quatuor incedebant pedibus, sed ita, quibus crura super pedes ad salendum in terris.

Dicimus II. Locustas inter edulia relatas in cibum hominibus venire, probant historici: Plutarchus in *συμπόσιος* testatur apud Græcos locustas fuisse vilioris cibi genus. Scaliger *contra Cardanum exerc. 193.* ait: apud Africanos, Syros, Persas, in cibum adhuc locustas recipi: & à Discoride *Oniscos*, à Plinio verò *Attelabos* nominari. Plinius l. 6. c. 30. refert gentem quandam Æthiopum locustis vivere, fumo & sale duratis, in annua alimenta, Nicol. Clenard. *de Vesan.* qui Arabicæ Linguæ addiscendæ gratia, Arabes adiit l. 1. *Epist. ad Jac. Labomum*, rationem harum locustarum ita exprimit: *paucis ante diebus cælum vidisses obductum locustarum agminibus, quæ in hac regione non solum saltant; sed ritu avium volitant: jam coram video minas Prophetarum: multis in locis unâ nocte universa sata perdunt, bellum strenuè cum iis gerunt ruricole: nam plaustra plena locustis advehunt Vesan, nam hos hostes vulgò hi comedunt.*



**Q**uos exercitiis Academica pulpita  
claros

Efficiunt, studii vimq; decusq; tenent.

**Q**uos alibi vitiis spelunca nefaria pascit,  
Hos odit Deus, & non nisi porcus a-  
mat.

Te prius elegisse bonum, dilecte **MANICH.**  
**PRINCIPIS** hinc oritur gratia magna  
tibi.

Merge animum docti atq; pii **JORDANIS**  
in undis!

Ex illis, credas, regrediere **SOPHUS.**

*Benevolent. causa ser.*

**JOH. GEORG. DORSCHAEUS, D.**

---

**E**Ns infinitum, transcendens omnia  
Numen,

Non formam aut leges de ratione capit.  
Id nunc defendis naturæ lumine; posthac  
Luce ostensurus splendidiore Deum.

*Ita gratul. Eruditiss. Dn. Respondenti*

**HERMANNUS SCHUCKMAN,**  
Theol. D. & P. P.

Ad

*Eruditissimum Dn. Respondentem*

**I**Nter divinæ mentis pia munera primum est,  
Scire quid ILLE BONUS sitque velitque DEUS.

*Cum benedictione fer.*

Bernh. Gosman, D. P. P.  
& Coll. Philos. h. t. Decanus.

---

**O**Tia sectantur multi, tu ritè labores  
Suscipis, ut studiis digna PHILIPPE feras.  
Digna feres, studium quod tractas, gnarus & urges,  
Promittit patriæ commoda multa tuæ.  
Te florente scholæ crescant, Ecclesia crescat,  
Et pietas vires sumat in orbe novas.

*Ita literatissimo Dn. Respondenti gratulatur.*

PRÆSES.







in deserto, Gen. 21. v. 20. & 21. in deserto a  
 1. Reg 9. v. 18. Joab habitavit in deserto  
 Judæ assignantur civitates in deserto, Jos  
 fertum in quo permanisse dicitur Johann  
 qua Zacharias suum domicilium habuit.  
 verl. 40. & apparebit quod idem locus, qu  
 etiam appelletur saltuosus seu montosus:  
 lip. 7. Sacerdotes non necessariò sua d  
 habitaverunt, sed etiam in proximis oppid  
 los ordo attingebat, ascendisse dicuntur.  
 tem, quæ Baptista cunabula dedit, fuisse  
 improbable; nam inter alia oppida ste  
 assignata, etiam refertur Hebron. 1. Paral  
 Judæ, cujus situm Jos. 15. v. 48. & 54. scrip  
 montosâ.

Alteram quæstionem quod attinet  
 reddidit. Seine Speise war Hewschrecken.  
*axeds* interpretantur caneros, quos Bapt  
 baptizantem collegisse ferunt. Postquam  
 suos Hierosolymam vel ad alia finitima op  
 facta canerorum ab aliis piscibus, lege no  
 ad ripam Jordanis, ejecerant: Sic Beatus  
 Johann. Bapt. Er ah Krebie die aish dem Jor  
 aber die Speise im Geseg. Messis verboten/ ac. E  
 hares 30. testatur. Judæos quosdam fuisse, q  
 cuticulam curasset, pro voce *axeds* i  
 notat opus pistorium & dulciarium e simi  
 batur, & melle indulscebatur. Alii intell  
 ex errore vocem esse pro voce suppositam  
 Norat verò *axeds* arborem pyriferam syl  
 fructus Holsäpfel. Alii ut Nicephorus, Et  
 esse dicunt, quod *axeds*, summas ole  
 rus Pelusiotas l. 1. epist. 133. *axeds*, inquit  
 tur, sunt herbarum & plantarum summitates

S 2

mon Baëlarb.  
 4. Stemmati  
 imus II. de  
 saltuosa, in  
 rf 80. cum  
 tur desertus,  
 t ex 1. Para  
 ofolymis in  
 , quotics il  
 utant civita  
 od non adeo  
 nis in V. T.  
 pidum terræ  
 e in regione

am Lutherus  
 vocabulum  
 tanis ripam  
 es, qui pisces  
 adrehebant,  
 eparatione,  
 in Festum  
 arden. dtevent  
 Ewatar  
 ra in deserto  
 idas, quod  
 o incoque  
 1vestria, &  
 s, *axeds*  
 on ejusdem  
 idas idem,  
 inde Isido  
 nnes aleba  
 onfundunt  
 Patres

